Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26831
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dixerat non pro his autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me, continuo subiungens ut omnes unum sint. Isti autem omnes quid est nisi mundus? non hostilis utique sed fidelis. Nam ecce qui dixerat non pro mundo rogo, pro mundo rogat ut credat. Quoniam est mundus de quo scriptum est: ne cum mundo dampnemur; pro isto mundo non rogat. Neque enim quis sit predestinatus ignorat. Et est mundus de quo scriptum est: non venit filius hominis ut iudicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum. Unde et apostolus: Deus erat inquit in Christo mundum reconcilians sibi. Pro isto mundo rogat dicens: ut mundus credat quia tu me misisti. Per hanc enim fidem mundus reconciliatur Deo, cum credit in Christum qui est missus a Deo. Quomodo ergo intellecturi sumus quod ait: ut et ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus quia tu me misisti? Non enim quia in eo causam posuit ut credat mundus quia illi unum sunt, tamquam ideo credat quod eos esse unum videt, cum ipse mundus sint omnes qui credendo unum fiunt. Sed orando dixit ut mundus credat, sicut orando dixit ut omnes unum sint, orando dixit ut et ipsi in nobis unum sint. Hoc est enim omnes unum sint quod est mundus credat, quoniam credendo unum fiunt, perfecte unum, qui cum natura essent unum, dissentiendo ab uno non erant unum. Denique si verbum quod ait rogo tertio subaudiamus, vel potius quo planius fiat ubique ponamus, erit huius expositio sententie manifestior.

Rogo ut omnes unum sint sicut tu pater in me et ego in te; rogo ut et ipsi in nobis unum sint; rogo ut mundus credat quia tu me misisti, id est iam in presenti seculo credat. Ideo quippe addidit quod dixit in nobis, ut quod unum efficimur fidelissima caritate, gratie Dei noverimus tribuendum esse non nobis. Sic apostolus cum dixisset: fuistis enim aliquando tenebre, nunc autem lux, inquit, et ne sibi hoc tribuerent, adiecit: in Domino. Deinde salvator noster rogando patrem se hominem demonstrabat; nunc demonstrans et se ipsum quod cum patre Deus est facere quod rogat: Et ego inquit claritatem quam dedisti mihi dedi illis. Quam claritatem, nisi inmortalitatem quam natura humana in illo fuerat acceptura?

Nam nec ipse adhuc acceperat eam, sed more suo propter immobilitatem predestinationis preteriti temporis verbis futura significat, quod nunc clarificandus, hoc est suscitandus a patre, et ipse sit nos ad eam claritatem suscitaturus in fine. Simile est hoc ei quod alibi ait: sicut pater suscitat mortuos et vivificat, sic et filius quos vult vivificat. Et quos, nisi eosdem quos pater? Quecumque enim pater facit, non alia sed hec et filius, nec aliter sed similiter facit. Hac per hoc suscitavit et se ipsum etiam ipse. Nam inde est: solvite templum hoc et in triduo resuscitabo illud. Porro inmortalitatis claritatem quam sibi a patre datam dicit, etiam se sibi dedisse intelligendus est et si non dicit. Ideo quippe sepius solum patrem facere dicit quod et ipse facit cum patre, ut de quo est ei tribuat de quo est.

Sed aliquando etiam tacito patre se dicit facere quod facit cum patre, ut intelligamus ita filium non esse a patris opere separandum, quando se tacito patrem dicit aliquid operari, quemadmodum nec pater ab opere filii separatur, quando